Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35040
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

Decretum maximum synodi generalis Constanciensis

Nota crescant

Frequens generalium conciliorum celebratio agri dominici precipua cultura est que vepres spinas et tribulos heresum errorum et scismatum extirpat excessus corrigit deformata reformat et vineam domini ad frugem uberrime fertilitatis adducit. Illorum vero neglectus premissa disseminat atque fovet. Hec preteritorum temporum recordatio et presentium consideratio ante oculos nostros ponunt. Ea propter hoc edicto perpetuo statuimus decernimus atque ordinamus ut amodo concilia generalia celebrentur. Ita quod primum a fine huius concilii in quinquennium immediate sequens. Secundum vero a fine illius immediate sequentis concilii in septennium et deinceps de decennio in decennium perpetuo celebrentur in locis que summus pontifex per mensem ante finem cuiuslibet concilii approbante et consentiente concilio vel in eius defectum ipsum concilium deputare et assignare teneatur ut sic per quandam continuacionem semper aut concilium vigeat aut per termini pendenciam expectetur. Quem terminum liceat summo pontifici de fratrum suorum sancte Romane ecclesie cardinalium consilio ob emergentes forte causas abbreviare sed nullatenus prorogare. Locum autem pro futuro concilio celebrando deputatum absque evidenti necessitate non mutet. Sed si forte casus aliquis occurreret quo necessarium videretur ipsum locum mutari puta obsidionis guerrarum pestis aut similis tunc liceat summo pontifici de predictorum fratrum suorum